...scus

...Romualdi Festivae Charites.

FESTIVÆ CHARITES
IN OCCURSUM
PERILLUSTRIS
REVERENDISSIMI
FRANCISCI
SKARBEK
BOROWSKI,
CATHEDRALIS CRACOVIENSIS
PRÆPOSITI,
ABBATIS
COMMENDATARII
HEBDOVIENSIS,
Recenter ex Saxonia Revertentis
Ipſo Die Natali
Solennis acclamationis & obſequentiſſimi Cultûs gratiâ
A
Devinctiſſimo Cliente,
M. Romualdo Fludzinſki, in Univerſitate Cracovienſi Philoſophiæ.
Doctore & Profeſſore
EXPEDITÆ.

CRACOVIÆ
In Palatio Epiſcopali, Factore Dominicô Roſenmüller,
Annô 1753.

APPLAUSUS I. CHARITUM TRINO EPIGRAMMATE.

Programma.

FRANCISCUS BOROVIUS PRÆPOSITUS CATHEDRALIS CRACOVIENSIS.

Anagramma. I.

Priſco fero vota ſinu, ſuſcipe ſubitò clarus hæc, in ara cordis.

MAgne Coronati Præſes Frons prima Vavelli,
Inclyta cûi nomen Præſulis Hebda dedit.
SUSCIPE grata litat SUBITO quod Lechia munus,
Et pariter munus córque voventis habe.
Quæ PRISCO FERO VOTA SINU; nec parva laboris
Pars immortalis, munere CORDIS erit,
Et quibus illuſtris candeſcit ab ignibus ARA
Jure Tuo CLARUS cordi INarabit amor.

Anagramma II.

Thronus Sacer iturus per priſcos Faſces, ſæcula vicino dabis

Surgat Apex laudis, ſatìs eſt egiſſe, quod intus
Cordibus illapſo flamine, fama ſapit.
Jam Tibi Muſa ciet devotos carmine plauſus
In quibus Auguſtum ſæcula quæque ferent
Pondus, inexhauſtæ laudis, cenſumque perennem
Purpura Te tandem murice tincta teget
Et THRONUS ille SACER PER ITURUS SÆCULA FASCES
PRISCOS, VICINO Victima magna Jovi.

Anagramma III.

Purpureos oro vive dies, hic faſcibus vinctis, Lyra ſorte canas.

Dum Te longa ſacrô venerantur gaudia circô
Nemo plaudente non ſinit ore loqui.
Dat populus, dat gratus Eques, dat thura Senatus
Omnis & ad Feſtum dum litat Ara Jovem.
Ipſe ſuus anſer lætus properavit ad Aras,
Et cecidit feſtis, hoſtia parva focis.
Hos quoque ſecretos memorabunt corda triumphos,
Nec minor iſta Tuæ Laurea Laudis erit.
PURPUREOS ORO VIVE DIES, LYRA FASCIBUS VINCTIS
SORTE CANAS, protinus HIC Tibi Feſtus erit.

AD REVERENDISSIMUM
PRÆFATIO.

NOn ſolitarius ego TIBI occurro, ſed & votivæ Charites, quas conſultò ſolennis acclamationis ergò, vaſallus conduxit amor REVERENDISSIME DOMINE. Par quidem omnium ſtudium, una de TE benemerendi alacritas, ſed difformem Officii ſtimulum vel ipſe Natalis Diei rumor, & auſpicatiſſima Reditûs TUI fama inſtillavit. Annorum ſeries nova non vulgare idioma ſapit: renovâſſe langvens barbyton, ſpiritus Aonii animâſſe plectri conſuluit, nec tetrico ſitu, lætitiam ſimulare paſſa. quin moto viſcere, ruptîs animus medullîs, tui in Solennia Feſti proſiliret: quaſi hic ſit genuinus Magnarum mentium genius, ut meliorem ſuæ ſorti arbitretur deeſſe calculum, niſì grata obſequiorũ alacritas, pro FamæNominíſq; incremento decertâſſet. Et certè amica ſemper frequentiæ illuſtris pompa, plaudit ſed nunquam ſolitaria, cui ad menſuram

laudis, militat æther, & conjurati veniunt ad classica venti. Utcunque per ora & oras gentium paludatus grassatur Honor, celsiori verò tunc attollitur gradu, cui substituitur Ara cordium, & non alia Festis cadit victima focis, quàm victum perenni gratitudine pectus. Diuturna quidem deliberatione intrà me consului, quid tandem pro animo tuo capacissimo pro votorum meorum mensura, Dii eventurum præstiterunt, laudabilis tamen affectuũ intemperantia, futurã cum Fascibus famam prævenit in laurea gaudiorum. Neque (reor) dissimulâsse gaudia, vel speraturæ ex fati sententia sorti injecîsse moram, imò: si pendet Superûm arbitrio, præcurro votis, festivæ Acclamationis Magnalia, prænuntia voce testaturus. Par enim est; ut quò Tu conscium Supremæ Majestatis animum, pro alti sanguinis gloria, pro meritorum exigentia, pro cōmunis apprecationis eventu, aptâsti ad Vittas, parâsti ad Infulas, ad Regni erexisti Ministeria, eò officiosum provocâsses calamum, ut deposita tarditate celer, excussa formidine constans, pulsa obscuritate sincerus, pro fama

TUI Nominis evehatur. Hoc nempe habet fulgor ille SereniſſimæMajeſtatis, quem nuper gratiſſimus Hoſpes in Auguſto pectore hauſiſti, ut diuturnum quoque linguarum ſilentium, diſſolvat in trepudia. Et movit hoc humaniores Polonos non modicum æmulandi ſtudium, ùt cum exteros haberes laudatores, domeſtici quoque pari promptitudine ad dandum Virtuti Suffragium invitentur. Factum ergò eſt, pro memori nativæ gratitudinis exemplo: vix TE redeuntem in Patriam præcurſor vulgavit fama, jam noſtræ Charites parabant corda in Compita, aptabant animos in Theatra, pennas levabant in Arcus, imbuta perenni gratitudine pectora inſtruebant in Trabeas, & cum TE ſalutandi anhelabant omnes, TE viſô, vel Romani Diagoræ meliore fato in eam, quam cernis applausûs pompam expirârunt. Et verò jam defunctis præcarer requiem, nisì TU enervatis robur, languentibus ſpiritum, & prope mortuis animam reddidiſſes. Sic benè longitudinem tædii diuturnitate voluptatis compensâſti, ut impenſæ pro TE ſolitudi-

 nis

nis obliviſcamur cum præſentem intuemur. TIBI ergò REVERENDISSIME DOMINE propenſiſſimæCharites Vota hæc reddunt: quæ ut impetrâſſet pietas, impendiſti merita, ut meritis redderetur Honor, rediiſti in Patriam, ut patriæ cummulares tripudia, Natalem FRANCISCE Diem elegiſti. Qualis quantusvè ſis, vel hinc metire; cui arridet Cœlum, cui favet natura, famulatur fortuna, cui devoventur amores & omnium vota conſecrantur. Nè verò & meæ Charites, ſemper defunctæ, nunquàm exanimes, TUÆ Nominis immortalitati deeſſe vaderentur, in ſignum perennis gratitudinis, illud quod fovent Ingenium ſinè ceruſſa; eam, quam enutriunt Indolem ſinè ſimulatione, TIBI Poëtarum voces in Epicinia, Oratorum facundiam in Panegires, ſinè parſimonia tranſcribunt. Vive diu prægrande Fulcrum Eccleſiæ, Deſiderium Patriæ, Vavellei frons prima Senatûs, tot Principum ſanguis, ut quem perſequimur iterantem, ſalutamus redeuntem, coronemus & FRANCISCUM, ſic vovet pronus animo.

AP-

APPLAUSUS
II.
SALUTATORIUS.

DOMI FORISQUE FORTUNATUS ESTO,
Ubi Cæſaris fortunam vehis
Nunquam non fortunatus futurus.
Utique
Quodcunque Cœli punctum ſol pertigerit, ſemper ipſe ſibi eſt meridies.
Jam inde à ſui principio
Gyrum Cœli circumivit, nullo loco deſes,
Profundum abyſſi penetravit, ſemper in motu.
In omni terra ſtetit nulli jurata, ſemper peregrina fide.
Nullum meridiem novit,
ubi ad inertiam cubet,
Nullum Septentrionem,
ubi ad torporem obrigeſcat
Nullum Occidentem,
ubi ſe ſe ad quietem componat.
Patria domus, Lares penetrale compeditorum ſunt
qui Naturæ munificentia, ſortiti libertatem
ultro injiciunt in catenas,
Sint ſanè obſcuri nominis mortales
qui extra ſuum tugurium & paternæ hæreditatis ſepes mundum ignorent
Sint
quibus vicini colles ſunt mundi limites
AT SOLIS ÆMULA VIRTUS
continuò in motu,
Magna Stemmata ſunt magna flumina
quæ adhuc in natali rivo ad curſum trepidant,
ſed creſcit ab ipſo curſu gravitas,
ſic fluit ex humili fonte Oceanus
ſic creſcit ac tenui Terebyntus alta.
Non premit quodcunqe pondus Atlantem
neque mens Auguſta Thermophylarum arctatur anguſtiis
Imò
Pigmææ virtutis argumentum eſt, non poſſe currere,
jaceat quod humi affixum.
Sed mens ignea ſurſum agitur,
donec Cœlum vel ſphæram igneam attingat.
Anguſtum eſt magnis Mentibus Cœlum Patrium,
Solum vertere fæcundorum eſt cultura animorum.
Vera Laus arcto comprehendi nequit
Sed eoſdem habet terminos, quos Orbis & Æternitas

DEDISTI TU TANTÆ GLORIÆ ARGUMENTUM
PERILLUSTRIS REVERENDISSIME DOMINE
CATHEDRALIS CRACOVIENSIS PRÆPOSITE
HEBDOVIENSIS ABBAS.
Dum non jurato domi sydere
late Patriam Lucem fudisti
Felicior certè Promethæus, hausto lumine è Cœlo patrio
Externum Orbem irradiasti
Et certè
Amplior est Tua Gloria, quàm ut patrio claudatur cardine
Externi Luminis non indigens, sui prodigus.
Ideò
Numam Roma Patrem Patriæ, Latúmque Catonem
Desine mirari
Habuit Regnum nostrum, quod glorietur,
Nec defuit quod inviderent exteri in TE
DRESNA, SUPERBUM SAXONUM EMPORIUM,
Primum Laudis Theatrum fuit
Quantum est nôsse Regiam, ex æquo sustinere MAJESTATEM
Et splendido apparatu îsse in Honorem Principis
TU pari gloria emensus es.
Assurrexit Nomini Honoríque Tuo prona MAJESTAS
Cum ipsi Tusculi Delphorúmque fortunam arrogares
HOSPES ERAS,
sed qualem Roma vetus miraretur & Carthago ambiret.
Undè
JUDEX ILLE MENTIUM AUGUSTUS
Ream Majestatem Tibi obstrinxit
Et ni cognato Sideri, SERENITATIS suæ radio est illapsus
Taceat hic illud tacitus
Qui majorem Principibus reverentiam à longinquo efflagitat
Igneus est (inquit) *Regum genius urit, quæ propiora habet*
Ast
Ignitus iille Majestatis splendor,
Cum exarsit in stipulam, Aurum invenit in BOROVIO
Qui ipse sibi Hyra & Ophir, Indus & Arabs,
etiam in scoria temporum, domi vena aurea virtus
At verò
Si Tripode eget Patria ad Delphos naviget, ubi animi & Capita consecrantur,
AUGUSTUS Lechiæ TRIPOS est
Ab eo Tu Sapientissimo Principum, pupilla omnium tersissima visus.
Ab hac Europæ Intelligentia, mira animorum penetratione cognitus,
Ab hoc Coronatorum sensuum Oraculo dilectus es,
Ex hac Aurifodina,
Myriadem talentorum huc ferimus
ut in oculis tantæ MAJESTATIS
Quid quid in Te electum fuerat
In peranne Laudis trophæum surget.
SED NON UNUS REGALIS PURPURÆ SPLENDOR
in paginam influit
Mendax argumentum sit. Si

Si ſola Tibi Curiæ Majeſtatis cura fuit
Siquidem
Præpoſterum decus eſt, ubi byſſus rubet in dorſo, non idem Candor in animo.
ARDET IN TE UTRUMQUE.
Et fulgor Majeſtatis, & fax Virtutis
Sacrorum Authoritas à TE deſumpſit faſtigium
Et Gloria incrementum.
Nemô in Ajace quærat modeſtiam, nemo in Paride ſperet pudorem
A Romulo animum, à Numa pietatem faſti exigunt
pari tu ingenio utrique ſufficis
ubi virtutis famam recondis & fortunæ
Immortalitatem Te ipſo auges, fortunam ſorte Majeſtatis
VERE ANGELUS APOCALIPTICUS
Qui uno pede terræ inſultâſſe altero Maria compreſſiſſe viſus
Pietatis decempeda, omnem Laudis emenſus viam,
nulla Tibi fuit via tam invia, quam non calcâſſes ſecurus,
nullum iter tam aſperum, quod non ſuperâſſes imperterritus.
Gyganteo paſſui
Non viarum incommoda, retardarunt curſum,
non fluctum Mæandri, impedivere tranſitum,
non clivos minantia Tempe, injecere moras
non Uliſſei propontidis Syrtes terruere greſſum
donec incitatus in cardine Gloriæ paſſus figeretur.
PRAGAM ILLUD CÆSARUM ANTEMURALE PERREXISTI
Sed perennis famæ plauſum ubique excivisti
Ut nempè magnis mentibus ubicunque eſt ſtatio, ibi Theatrum & Plauſus.
REGIUM HOC ITER
Non exeſi Aſpium rupibus trivere greſſus,
Ubi contra Auſoniam pugnatum eſt,
Ad honores Regum, ad Trabeas & inſignia
Nullô ſuſpectum clyvô
Vel inter fauces iſthmicas
Penelope Uliſei curiculi anchoram intercepit.
VESTIGIA GLORIÆ TUÆ
ni Aquilæ volantis ſub ſydera
favente Neræi carbaſo Propontidis
ubi ad Inſulam bonæ ſpei curritur
oſtendere non ſolum Cæſaris fortunam iviſſe per invia
Argonautæ cis Colchidem, Laertiadæ extrà Ithacam,
Sed & magnanimos Sarmatas id agere,
Quibus inter Symplegadas, non micans velleris Cynoſura,
Sed Currus gloriæ conceſſus eſt triumphalis.
Exiguum nobis vitæ curriculum natura circumſcripſit
Immenſum gloriæ. - - - Cic. pro C. Rab.
Tu exultaſti Gigas ad currendam viam
Et cum meta fervidis agitata rotis, terrarum Dominos evehit ad Deos
Naturæ parcitatem (quæ in Te prodiga) Laudis perennitate prævolaſti.
Ipſe operum immortalium centimanus Atlas Miron & ingenium
QUÆRIS VOCALE IDIOMA LAUDIS
in Te ipſum reſpicias
Et ex quo laudabilis es & immortalia ſpiras
Nisì ex animo capaciſſimo.

 Cui

Cui quidquid addideris extraneum
munus eſt, ut par Merito tuo efficiat incrementum
Illud nimirùm felicitati Tuæ fata tribuerunt
Ut grandes Majorum conatus, unus ipſe fauſto eventu coronâſſes
TE UNO STET RELIQUORUM GLORIA.
Quid memorem ampla monumenta laudum
Suæ munificentiæ in DEum, meritorum in Patriam
Æquitatis in Fora, pietatis in Fana, Togatæ Virtutis exempla,
Quorum immortale Decus
jam galea & loryta, jam conſilium & ſapientia exquiſivit
Corona hæc meritorum.
pulcherrimo fædere Tuis innectitur Laureis
In ſacram ambit cæſariem
Ut quid quid in aliis Gratiæ, Lucis, Majeſtatis fuerit,
Tibi deberetur.
Tu Majeſtate inaraſti Thronos, cum Regibus piacuiſti.
Laudando faſtu inauguraſti Infulas, quas meruiſti
Traxiſti in ſtuporem Curiam, cum conſiliis animares
Nova Cœlum induiſti facie, cum poſteritati exempla reliquiſti.

APPLAUSUS III.
VOTA PATRIAM REDEUNTI LÆTO ACROEMATE OCCINENS.

UTcunque ſoſpes Sole ſub extero
Fortuna dives, allicit advenas.
Juvat feriari, cûi ſalus.
Nil tutius limite paterno,
Quacunque rerum parte perambules,
Quacunque fluctus exagitas maris,
Undantes ſurgentis procellas
Archimaris, Garamantas ambis.
Sêu poſt reductos antra ſub Africos,
Poſt congelatas Oceani minas,
Vinclìsque detentas procellas
Gemmiferô redimitus aurô.
Luſtras profundos Jonii ſinus
Cêu lætus inter Semideos ſalis,

Lu-

Cêu Te limen nitentis Regiæ.
Purpureô thalamô moratur.
I quà Regali Sol perit æquore.
I quà recenti ſe reficit ſinu,
Scrutare Getulos receſſus,
Non Patriæ fugies amorem
Quàm dulce laſſis, Iſthmia navitis
Preſſiſſe conto littora, cum Notus
Fervore dediſcit ſupino,
Cerulæis equitare campis
Quàm dulce collô nectere patriô
Dextram, excitandis laude nepotibus
Laresque Templorumque cultus
Supplicibûs retinere curis.
Nil eſt paterno Sole beatius,
Certísque noti finibûs Oppidi,
Ceû juvat errantes volucres
Ceû genus undivagum tueri
Olim paternis indita fontibus
Arcana vis eſt, quæ latet advenam.
Ad nota dulcis labra ſerpit,
Et Patriam monet eſſe lympham
Merge hunc ſub Undis transfuga Caſpiis
Emerget ardens, ad tua littora,
Mentem reſorbebit fugacem,
Et tacitos feret ore morſus
Sprevit, placentes Ogigyæ minas
Sprevit, decoras Alcinoi fores
Et cælibem nunquam racemum
Præ ſcopulis Ithacus paternis.
Ut ut profugum ſic juvat interim
Advectum longo turbinis impetu,
Blandiris armenta paſtori,
Ad patrium fugit ille gregem

Jugo implicatus littora ſordido
Nativa durus quò properet Scytha
Querceta Gargani dolebit,
Et tepidas habitare Bajas.
Ille ô Beatus cui vice conſulis
Prognes paternam dum delinit trabem
Diſtinguit annos atque avitô
Herculeum mare finit agrô.
Et qui coævæ dum videt arboris
Pendere crines, ſe meminit ſenem,
Campíſque lentis atque adulto
Se nemori videt eſſe patrem
Felix volantem cui proprii datur
Metare vitam limite prædii,
Miſcere cûi prodeſt ſepulchro
Et cineri cineres paternos,
Felix parenti, qui ſibi creditum
Multo rependit fænore pulverem,
Quem terra poſtquam fruge pavit,
Cuna eadem fuit & ſepulchrum.
Te Praga nuper, Te procul exteræ
Novere gentes, en dociles adhuc
Semita monſtrat cicatrices,
Et ſolidi fuga fervet Iſtri
Dreſnam Saxonum pergama Proximè
Appellat echo, culmina Cæſarum,
Heſperi luſtrabas Triones,
Auſtriacæ novus Hoſpes Aulæ.
Hinc ille tandem, Te pedibus minor
Bohemus, olim ſponte cadentibus
Adorat armis; Te perennî
Gratus Eques celebrat trophæo.
Illud Moldavæ littus, & ardua
Circumfluentis æquora Neræi

Tro-

Trophæa torſere pulveres
Tunc celebres, micuere turres.
Et ipſe ſacro celſior in Throno.
AUGUSTUS Princeps & Solii jubar
Auguſta ſors Regum ſereno
Te colluit venientem plauſu.
Tu tu, paterno vectus in eſſedo,
Tandem propinquo limine lætior,
Dimittis in terram jugales,
Perque tuos citiore curſu
Incedis agros, jam Tibi ſubditus
Ager demiſſis fundit adoreas
Ariſtis gratas, obſequenti
Fundit ope, dominúmque ſuum.
Agnoſcit famulus, juſſis alacrior.
Stat catervatim turba fidelior,
Attendit nutus, & defixa
Tecta ſuum dedicere Patrem.
Tunc floridorum colla cacuminum
Criſpo comatam gramine protinus
Flexere cervicem, redeunti
Fronte alacrem pepulere plauſum.
Et tunc ſononis non ſinè plauſibus
Te laureatus honor eburneîs
Vectavit alîs, & citiorî
Eeſta dies properavit lorô.
Poſtquam Polonæ Laudis amantior
Super Aviti littora Viſtulæ,
Deſiſtis pede ſupino
Tum vigilis TIBI ter triumphos.
Canimus, PATRIIS dum FINIBUS REDIS
SOSPES, ARCANO TE COLUNT illico
Celeres OCCURSU reduci
Tunc CHARITES dicunt ore Salve.